Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1745
Quelle:
Copyright:

Subſcriptus annus 1600. Alterum latinum, ſi phraſin et numeros ſpectes, non infelix, ſed effera male dicendi rabie ſupra germanicum:

Ex cane foeta parens effudit Scropha Suitas
Scropha gerens triplicem gemmis auroque coronam &c.

Notatur in margine *Caniſius*. Sub finem intorquetur flagellum Poetae cuidam, qui a Schola *Witebergenſi* defecerat,

Qui Praeceptorem inſigni pietate Philippum
Defunctum, nil debentem mortalibus ullis,
Arte illa laceras, quam tradidit ante Magiſter,
Nec, qui vivit adhuc, vivatque, optamus, Eberus
Diſcipuli effugit morſus &c.

Stapbylum putaſſem, niſi hic quadriennio tantum *Melanchthoni* ſuperfuiſſet.

DCCXXV.

R. 2291. Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 264. f. max. per duas columnas luculente et bene ſcriptus, coloribus illuſtratus, et quondam *Monaſterij Sancte Dorothee Virg. et Mart. Wienne Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini* ſequentia complectitur: *Incipiunt adhortaciones ſanctorum patrum ad profectum perfectionis vite religioſorum pertinentes.* Praeit Prologus: *Domino venerabili patri martino presbitero et abbati paſcaſius. Vitas patrum grecorum ut cetera facundia ſtudioſe conſcriptas* &c. *Martinus* hic *Pannonius* eſt ex Abbate *Dumienſi* in *Gallicia* Archiepiſcopus *Braccarenſis*; defunctus a. 580. *Paſchaſius* vero *Dumienſis* potius, quam Rom. Eccleſiae Diaconus; quod enim aliqua Exemplaria iſtud praeferunt, e confuſione cum alio *Paſchaſio* autore Librorum *de S. Spiritu* a *Gregorio* M. L. IV. *Dial.* laudato profectum videtur. Aliam confuſionem offert Codex noſter; nam *Herib. Roswevdum* in edendis *Patrum Vitis* multis annis elaborantem nolim lapſus arguere. Adfixit ille *Paſchaſii* Praefationem *Libro* ſuo VII. Edit. *Antverp.* 1628. p. 664. At vero Liber, quem in Codice noſtro praecedit, *Roſweydi* V. eſt, interprete *Pelagio*, dicto pariter, ut *Paſchaſius*, *S. Rom. Eccl. Diacono*, unde a Librariis *Paſchaſium* et *Pelagium* temere confuſos putem. Interim *Sigebertus Gemblac.* verſionem Libri V. diſerte c. 115. *Pelagio* adſignat. Procedit hic Liber in Codice non plane eo Exemplorum ordine, quo apud *Roſweydum*, et deſinit in Vitam *Thaiſis*, *Euphroſynae* et *Pelagiae*, quae habentur *Roſw.* L. I. demum in *Memorabile factum in britania anglorum*,